

Harmoniam microcosmi cum macrocosmo mutua, considerantes 7. planetas principales, & considerantes 7. metalla, quibus annumerantur hodie mercurium, eadem ad corpus humanum, ejusque partes principales, iisdem nominibus insigniendo, applicant, unde fit ut e nomine, quo sunt insignita metalla, & septem Planetæ, etiam sint insignitæ partes corporis humani, & sicut metalla habent convenientiam cum plantis, quæ planetis certis attribuuntur: ita hæc ipsa convenientiam habent cum partibus principalioribus corporis nostri, tales enim partes corporis humani principales dicuntur planeta microcosmi, ut ☉. macrocosmi habet correspondentiam cum ☉. sive auro, & cum corde; ♃. cum ♃. metallo & cerebro, & sic porro. Unde etiam metalla interdum signo, quibus insigniuntur Planeta, solent vulgò nominari. Quæstio jam est de metallorum EFFICACIA, an scilicet aliquam in corpus nostrum habeant efficaciam. Quæstio potest intelligi partim de metallis crudis tantum in pulverem reductis, partim de præparatis, & in certam medicamenti consistentiam reductis. Quod attinet prius ac cruda, de his nullus dubitat, & certum est, quòd nullam activitatem exerant in nostra corpora, sunt enim nimis dura, & tantum pulveris instar, aut arenarum, sicut fuerunt ingesta, denuò procedunt. Nullam dico exerant activitatem in corpus: exinde tamen non sequitur, quòd assumpta nullam habeant utilitatem, scilicet quatenus passivè sese habeant ad salia corrosiva sive acida nostri corporis, quæ salia aggrediendo metalla amittunt acrimoniam, eadem solvendo: & ita metalla pulverisata passivè sunt utilia. Passivè ergò conveniunt, quatenus patiuntur, ut eadem sal corrosivum acidum in primis viis, & spir. acidi corrosivi aggrediantur. Sic verb. gratia ☿. crudus vel pulverisatus licet assumatur, nihil juvat sive commodum corpori affert, nec ullam vim exerret, & frustra quasi erit assumptus, nihilominus tamen utilis est in iis morbis, in quibus acidum est in primis viis, quatenus tunc ☿. passivè se habet, ut à salibus acidis præternaturalibus corrodat, quæ corrosione acrimoniam suam perdunt, & adhærescentes cum ☿. exitum querunt. Quod dictum de marte, valet de Saturno, imò valet de medicamentis ex ♄. Sic quando Saturn. & remedia ex plumbo dicuntur quarta columna Chirurgiæ, quatenus applicatæ curant ulcera canerosa & similia, illud non fit activè, quatenus exerant suam activitatem, sed passivè, quatenus Saturn. est corrosibilis, & attrahit ad se ☉ia acida, quæ dulcescunt: utut ☿. & reliqua vi adstrictoria polleant, quæ internè conveniunt. Hæc ergò ratio est, quòd nullum est activum ex metallis, quatenus activitatem exerat, sed passivum: Salia acrimoniam amittunt, & fiunt blanda, subdulcia, & sic fit medicina ulcerum, & singulare medicamentum: utut ☿. præ reliquis vi adstrictoria conveniat: reliqua cum nullam habent activitatem, ita cruda assumpta, & certum sit, quòd in intimis metallorum sint

varia inclusa, quæ habent activitatem, sed quoniam latent sub duro cortice, & prius sunt producendi, propterea VARIÆ institutæ sunt PRÆPARATIONES, quarum beneficio internæ virtutes extractæ & protractæ fuerint in lucem & apicum: inter quas ea est excellens, quando sunt potabilia, id est, quando rediguntur in consistentiam liquidam, ut sub formâ liquidâ possint assumi: Et quidem non sufficit, ut sint potabilia, & sub formâ liquidâ assumi queant, sed ita debent esse potabilia, ut non amplius possint reduci in antiquam consistentiam metallicam, simul atque enim metallicum medicamentum denuò potest reduci in antiquum suum corpus durum & metallicum, non est perfecta potabilis medicina ex metallo sed est solum solutio corporis homogenei in partes homogeneas: Si ita resolvuntur, ut tota compages resolvatur, & vinculum mitionis omnino dissolvatur, ut non amplius possit reduci, est verè potabile, & stupendos edic effectus. Redactis ita in liquorem, & factis potabilibus metallis, quæ ratione extrahantur virtutes in apicum: Quæstio est, quomodo operentur, an per CONTACTUM CORPORALEM, an per VIRTUTEM irradiantem & SPIRITUALEM? Prius non potest dici, alias assumuntur potius in substantia majuscula: Et imprimis cur operentur sub minutissima dosi? exinde ex modernorum hypothese conclusum fuit, quòd operentur per virtutem irradiantem, quæ dirigant archæum, excitent, & certas ac amicabiles Ideas exsuscitent, si eadem fuerint labefactatæ, ut operetur ad conservandam aut restituendam sanitatem in corpore humano ad earum ductum. Et quidem hæc vis radiativa metallorum consistit in eorum ☿. seu pinguedine sulphurea metallorum, à quo metallorum ☿. dependet color metallorum: sic à ☿. ☉. dependet color rubicundus, à sulphure ♃. color sapphirinus à ☿. ☿. qui est naturæ ☉is, dependet rubeus, à ☿. ♀. qui est naturæ ☉is, dependet color rubicundus: vis ergò irradiativa metallorum egredi dicitur à ☿. quod ☿. dicitur ☿. metallorum benedictum à modernis, propter benedictas & stupendas virtutes quas possidet, legitime præparatum, sive sub forma potabili, sive sub forma pulveris. Inter sulphura metallica primatum obtinere dicitur ex modernorum experientia ☿. ♀. quod ex ☿. ☉is elicitur, & vocatur ab HELMONTIO primum Ens ♀. cui dixi succedaneam ☿. Hæmatitidis sub hæmatitide. Operantur ergò metalla legitime præparata sub forma radiativa, sive sub forma R. seu liquida, sive sub forma pulv. præparata præstent. Et quidem pro tali præparatione & extractione sulphur. metallici benedicti non est sufficiens nuda solutio per menstrua vulgaria corrosiva, sed sublimior requiritur præparatio. Omnes vulgares sunt corrosiones superficiales corporis totius in partes minutissimas, unde etiam facile possunt reduci ita corrosa metalla: reductio fit per ☉ia alcalia, inter quæ primatum obtinet ☿. ♀. & hinc Borrax venetus, his metalla corrosa, vel quocunque modo